





D. O. M. D. & A.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

B I L E  
ICTERI CAUSA FICTA

QVAM

DIVINA FAVENTE GRATIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO ac SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

DN. FRID. WILHELMO,

REGNI BORUSSICI atq; ELECTORATUS BRANDENB.

HEREDE, &c. &c. &c.

CONSENSU ET AUTHORITATE

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

IN REGIA VIADRINA

PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISS. aig. EXPERIENTISSIMO

DN. IOH. GEORGIO à BERGEN,

MED. DOCTORE ET PROFESSORE PUBL. ORDINARIO

h.t. FACULTATIS SUA DECANO SPECTABILI

DN. FAUTORE, PRÆCEPTORE & STUDIORUM SUORUM PROMOTORE

OMNI OBSERVANTIA ETATEM DEVENERANDO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ac PRIVILEGIA

DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI,

In Auditorio Majori, hōris ante. & pomeridianis ad D.g. Aug. An. M DCC X.

Publico Eruditorum Examini submittit

REINHARDUS RUNGE,

CIRCULI FRIDEBERGENSIS MEDIC. ORDINAR.

FRANCOF. ad VIADR. Literis TOBIÆ SCHWARTZII.

PER-ILLUSTRI  
EQVITUM ORDINI  
DISTRICTUS TOTIUS NEO-MARCHICI  
FRIDEBERGENSIS  
VIRIS  
PER-ILLUSTRIBUS GENER OSISSIMIS  
atq; MAXIME STRENUIS  
DOMINIS PATRONIS ac FAUTORIBUS

*Omni honore & observantia  
colendis*

DISSSERTATIONEM HANC INAUGRALEM

In grati animi tesseram suiqve commendationem cum voto omnigenæ felicitatis, ea,  
qua par est, submissione.

D. D. D.

Autor.



Q. D. B. V.

## Thesis I.

**A**uriginem sive icterum flavum à bile  
esse verus & commune Medicorum  
dogma est : uti enim bilis naturali-  
ter flaret , & qvæsi per transfudatio-  
nem concavam hepatis partem , inter-  
dum & alias vicinas flavedine inficit ,  
in ictero autem habitus corporis externus similiter fla-  
ret , lotium brunnei coloris linteamina tingens depre-  
henditur , foeces alvinæ albent , pallent , interdum ci-  
neritei coloris sunt & ipsa alvus insolitæ siccitatis eft ,  
ita hæc omnia ob levem probabilitatem à bile vel in  
sangvine hepatis vitio retenta , vel in sanginem redun-  
dante communirer derivantur . Cum vero in Patho-  
logia Medica ac imprimis morborum formanda Ætio-  
logia fallaces qvam maxime fint rerum species , vero  
similia itidem sæpiissime multum diftent à veris , qvin  
aperte falsa fint , ac paſſim enormes plane paralo-  
gismi , fallaciæ non caufæ ut caufæ committtantur , spe-  
ciminis

A

ciminis inauguralis loco rem hanc leviter qvidem, sed non minus dilucide exponere constituimus. Cui instituto ut Benignissimum Numen faveat, laborique nostro benedicat, humillimis oramus precibus.

### Th. III.

Popularem hanc icteri Aetiologyam incertam & fallacem esse, non adeo difficile demonstratur; frequentissimum enim cum in rebus physicis tum potissimum etiam medicis est, ut concurrentibus in uno eodemque subjecto, uno & eodem tempore duobus phœnomenis, duobus aut pluribus apparentibus symptomatibus alterum statim alterius causa statuatur, sicuti non raro cum melancholia conjunctus lienis tumor, vel quævis alia affectio causa melancholiæ, cum hydrope artuum inferiorum tumor, causa hydropis, cum affectu iracundiæ bilis orgasmus & effusio, causa iracundiæ prompte nimis affluitur, non obstante, quod in unoquaque prædictorum affectuum bina phœnomena à communi semper, licet tertia quadam, causa prodeant, sive Melancholia non à lienis tumore velut symptoma à morbo dependeat, sed hæc duo mutuo sese comitentur. Non dispari igitur ratione dum coincidunt icterus flavus & hepatis affectio varia, obstructio, bilis retentio, vel à schirrho vel calculo folliculi fellei orta, causa icteri hepati ejusque morbis adscribitur, licet obstructio hepatis icterum tantum comitetur.

### Th. II.

## Th. III

Frustra vero & perperam hoc fieri experientia & ratio dicitant immo commonstrant. Hæc enim exemplis docet plurimis icterum sæpiissime fine ulla hepatis obstructione & vitio, sine ulla bilis alteratione aut secretionis læsione fuisse observatum, immo plurimas tales obstructions à schirrho vel calculo folliculi fellei ortas auriginem prorsus nullam induxisse, qvorum prolixum catalogum hic recensere animus quidem non fert, rem tamen in progressu aliquot exemplis firmare operæ pretium erit. Illa vero manifestissime ostendit Hepar (1.) ejusque morbos non tam afficere vel corrumperet totam massam sangvineam, qvam vitium massæ sangvineæ hepar, atque hoc quidem præcipue præ reliquis abdominis visceribus, sicque conseqventer bilis crasis & secretionem turbare mirifice. (2.) Bilis nondum secretæ in sangvine retentio nem, aut ejusdem jam seqvestratae atque in folliculo felleo collectæ redundantiam & regressum in massam sangvineam, rem penitus vanam esse, & utrumq; pugnare partim cum fluidorum & sangvinis quidem circulo & motu, partim cum ipsis bilis constitutione crassi & naura. (3.) Luteum vel citrinum icteri colorem, æque certo arguere bilis per habitum corporis effusio nem, ac maculæ cutaneæ communiter ex falso veterum qvorundam præjudicio hepaticæ dictæ, qvibus cum hepatæ nihil plane commercii est, de qvibus omnibus se-

orsim nonnulla commentantes, nihil ab instituto nostro alieni nos facturos esse arbitramur.

### Th. IV.

Ab experientia asserto nostro fidem veritatemq; adstructuri merito & omni jure citamus Helmontium, Jüngkenium, Etmüllerum *Oper. Med. Tom. 2. p. 506, 507.* *Colleg. Pract. art. 4.* omnes crebrum icteri proventum à virtutis digestionis, morbis ventriculi & primarum viarum cunctitudinibus nidorosis observantes; qvibuscum faciunt aliorum Practicorum testimonia fide digna ab experientia unice desumpta, sed hepatis nec affecti nec obstructi ne mentionem qvidem facientia. Ut hoc modo icterum à morsu viperæ *Galenus* de loc. affect. lib. 5. cap. 7. itemq; *Z. Lusitanus* Lib. 5. Medic. P.P. Hist. 19. suis temporibus jam notarunt, à morsu araneæ *Joël* in *Praxi* p. 132. à morsu Canis rabidi *Bartholinus* Cent. 2. Histor. 89. ab oculoso crurum ulcere inverteato *Amatus Lusitanus* Cent. 1. Cur. 8; ab obstrunctione mensium *Schenckius* Obs. Lib. 3. *Bartholinus* Cent. 5. Histor. 62. à fumo tabaci. *Borrellus* Obs. 31. Cent. 4. à venenis aslumptis vehementioribus cataracticis, febribus acutis, tertianis, colica, *Platerus*, *Sydenhamius* pluresqve passim alii, qvorum nomina brevitatis gratia filemus. Qvibus pondus addunt, remqve extra omnem controversiæ aleam ponunt, ictericorum sectiones & experimenta anatomica practica à *Th. Boettro* in *Anat. Practic. Lib. Sect. 18. Obs. 1.* descripta, itemqve qvæ *C. Pequinus* Obs. Medic. Physic. Obs.

\* \* \*

Obs. 58. Lib. 1. *Loffius* Lib. 3. Obs. 39. *Riverius* Obs. Med.  
Cent. 2. Obs. 9. in hanc rem doctissime prodiderunt: ex  
his enim quam distin&tissime constat, icterum fuisse  
fine ulla hepatis, folliculi vel pori bilarii offensa, in duo-  
denum bilem descendisse, fæces alvinas non albicasse, sed  
naturaliter tinctas fuisse, repertam fuisse in vesicula in-  
gentem calculorum copiam, citra ullum icteri vestigium.  
Qvib⁹ adde icterum sepius brevissimo temporis inter-  
vallo generari, id qvod de hepatis obstructione, de  
schirrhō, de calculo vesicæ felleæ vix quisq; dixerit, nec  
hoc qvidem absq; omniratione, qvandoq; videm fluida ex  
natura sua pluribus multo ijsque longe celerioribus mu-  
tationibus quam solida videntur obnoxia, ut mirum  
inde vix videatur, qvi ab animi pathematibus à mœ-  
rore, terrore, tristi nuncio passim subito admodum  
exortus icterus legatur.

Th. V.

Nec hæc adeo, multominus veterum nonnullos  
penitus latuisse nobis persuasum est, secundum  
apud illos quoq; hinc & inde mentio fiat icteri sine  
proprio hepatis affectu, cuius causam vero allegant,  
calidam habitus corporis intemperiem, quæ sanguini  
nam laudabilem in bilem flavam affluentem corrumpat;  
est cum certum sit totum corpus omnesq;  
ejus partes temperiem & calorem suum habere uni-  
ce à vario fluidorum statu, quisq; perspicit facile,

A 3

illos

illos in explicanda hac intemperie potissimum in billem ejusq; per corp9 diffusionem inclinare, adeo q; aliis tantummodo verbis unam eandemq; semper icteri causam jactitare, & antiquam ubique canere cantilenam.

### Th. VI.

A Ratione argumenta, q;ibus sententiam nostram tueamur, petentes, notum esse existimamus, tales semper esse humores ē sangvine in diversis visceribus secretos, qualis sit ipse sangvis. Corruptus aut depravatus si fuerit, tales quoq; erunt humores ē sangvine pramanantes. Testantur hoc liquido febres, in q;ibus sangvine citra controversiam affecto & insigniter alterato, alia est saliva, alia urina, alius liqvor gastricus, alius sudor. Nihil ergo insoliti, si in ictero à dyspepsia aliaq; sangvinis pravitate orto bilis vel nimis viscida & amurcosa, fluat, vel acini hepatis glandulosi obstructi nihil bilis fecernant, & cum hoc sangvinis vitio complicetur hepatis affectio & conseq;enter ictus. Ut ivero in ictero per universum corporis habitum flavus conspicitur color, ita par quoq; est, universalem hanc cutis fædationem & coloris mutationem ab universal iisdem causa esse, nullatenus à particulari, ut bile, cui cum tunica oculorum adnata cum urina intensius tincta, primis quasi icteri signis, nihil plane commercii

• 170 •

mercii est, atque urina speciatim statum sanguinis quam maxime affectum tam in ictero quam aliis in morbis indicet, quin immo quævis alias humorum prava diathesis corporis habitum peculiari semper inficiat colore, ut phlegmatici vel cachectici pallent, melancholici livent, sanguinei rubent, auriginosi flavent, ictericici alii nigricant. Ut adeo hinc constet icteri flavedinem non tam à bile, quam vitio & pravitate sanguinis & humorum esse.

### Th. VII.

Neque hæc tantum, quicquid in superioribus dictum, affirmarit, sed ipsa bilis quantitas, posito, non concessò icterum à bile esse, nec sufficeret nec universal corporis flavedini responderet: In ictero namque corporis habitum non superficietenus, sed etiam ad viscera usque aurigine tinctum esse ex observationibus constat, uti talem ictericici sectionem exhibent *Miscell. Nat. cur. A. IV. & V. Obs. 194.* uti pulmones citrinos in tonsore ictericico defuncto vidi *Zachias Ques. Med. leg. Tom. 3. Consil. 15.* cartilagines & ossa in foemina ictericica flavedine tincta reperit *Celeberr. Bobnius* fœtum ab ictericica matre editum colore flavo imbutum, non tantum, sed loco sanguinis humorem fellis instar flavum fundentem recenset *Kerkringius Spicileg. Anat. Tom. Obs. 57.* testanteque *Schenkio Obs. Med. Lib. 3. p. 23.* Bras-

Brassavolus icterici meminiit, cuius è vena jecoraria  
 incisa sanguis totus luteus stillaverit, cuius sputa  
 urinam, excrementa itidem flava deprehendit, & de-  
 niqve ictericæ puellæ exemplum adducit, *Borellus Obj.*  
*Med. Cent. i. Obj. 63.* cuius sudor flavus omnia linte-  
 mina, qvin argentum fellea quasi flavedine polluebat.  
 Qvæ eum ita sint, merito inde colligimus tantam bilis  
 quantitatem tingendo ita corpori, aut viscerum tingen-  
 dæ substantiæ nec suppetere, nec unquam in humano  
 corpore generari posse: aut si quis præfracte nimis as-  
 ferat, flavedinem icteri nihilominus à bile esse, necesse  
 erit, omnes corporis partes tam solidæ quam fluidæ  
 intense amarcent, vel acri sua indole corpori alia  
 plurima inferant mala. Sed nihil horum convenit  
 cum experientia, nec curiosorum experimentis & ob-  
 servationib⁹. Computatione enim facta ex mente *Rever-*  
*borstii in Dissertat. Anatom. Med. de Motu bilis circulari in*  
*homine præter propter bilis de die unica novem à san-*  
*gine in hepate separantur. Verum quid haec bilis exigua*  
*quantitas valebit ad tingendas sanguinis libras viginti*  
*quatuor vel triginta, qvæ ordinaria totius massæ san-*  
*gineæ quantitas est, si, ut sè penumero tertianariis ac-*  
*cidit, unica nocte derepente icterus per corporis ha-*  
*bitum erumpat. Pugnat cum natura colorum, ut li-*  
*qvor copiosus purpureus intense rutilans, qvalis est*  
*sanguis, ab alio minus copioso flavescente in sui simili-*  
*lem sive flavidum vertatur, præcipue cum in nonnullis*  
*ictericis bilis cysti inclusa serosa tota & vix flava inter-*  
*dum reperiatur, qvale exemplum vide sis apud Thom-*  
 Bo-

Bonettum Anatom. Practic. Libr. III. section. 18. obsrv. 10.  
pag. 996.

### Th. VIII.

Humores autem ictericorum, putamus sanguinem, serum, lotium aliosque fellea flavedine infectos, propterea quoque bilis ad instar amaricare, quod quidem oportebat, non congruit cum experimentis G. Heintkij circa bilem factis, ac Ephm. Nat. Curios. insertis: Ex his etenim evidentissime liquet, sanguinis in ictericis per venæ sectionem emisi serum, etiam si maxime flaveat, nullatenus tamen amaricare vid. *Miscell. Natur. Curios. Dec. I. An. VI. Obs. CXXV.* Serum ictericum saepius intense adeo flavere, ut sudores stragula reddant flava, sed absque omni amaro. Sanguinem icterici linteo exceptum sero suo linteum quidem flavo tingere colore, sed nullam amaritiei notam exhibere. Urinam ceteroquin sanam bile perfusam linteamina non æque tingere ac urina ictericorum. Bilis aliquot tantum guttas urinæ sanorum instillatas, illam reddere amaram, colore minus austro, nec ulla inde orta flavedine. Sanguinem sanorum bile permistum, amaritatem non velare, sed manifeste prodere, lac bile permistum ac digestum insigniter amarescere, fine notabili coloris mutatione. Bilis flavedinem tollere sal alkali, cuius & imprimis volatilis maxima copia in sanguine, succis & urina animalium est. Repugnare, ut bilis retineat colorem flavum, exuta & amissa

B

missa sua amaritie, cum amarities bilis longe tenacior  
qvalitas sit flavedine, nec ab acidis, nec à salibus duplica-  
tis, tam facile, nec ab alcalicis fixis imprimis pereat ac fla-  
vedo. Ex qvibus & id genus pluribus apodictice pro-  
batur, succorum & corporis in ictericis tincturam à bi-  
le flava dubiam & aperte falsam esse.

### Th. IX.

Retentio bilis in sangvine, aut ejusdem secretæ  
jam regressus in massam sangvineam, qvibus potissi-  
mum icteri ætiologia superstrui solet, nihil nisi inanes  
& improbabiles assertiones sunt, omni in re medica  
carentes fundamento. Liqvores enim hinc inde in  
variis organis secretoriis collecti, ac à sangvine separa-  
ti ita formaliter in sangvine præexistunt nunquam.  
Uti lac sub ratione & forma lactis, saliva sub forma sali-  
væ, urina sub eadem, qva mingitur forma, nunquam  
in sangvine reperiuntur; sed horum liqvorum, qvandoqvidem non homogenei sed plerumqve heteroge-  
nei & ex variis diversisqve partibus compositi sunt,  
per totum sangvinem dispersæ & maxime disconti-  
nuatæ sunt particulæ, ut in sangvine dispareant peni-  
tus, singulæ vero seorsim ita spectatae nihil minus  
qvam lac, salivam vel urinam componant. Simili  
proin ratione comparatum esse cum bile ejusqve se-  
cretione recte & vere nobiscum innuit Cl. Etmüller. in-  
quiens: *bilem formaliter in sangvine non existere,*  
*bilem nusquam in toto corpore quam in vasis cholo-*  
*dochis*

dochis circa hepār reperiri. Oper. Med. Tom. I. institut.  
Med. Physiolog. e. XIII. p. m. 18. 19. Hinc ubi nulla  
bilis fit secretio, culpa vel vitio colatorii sive hepatis,  
nulla qvoque in sangvine bilis retinetur.

## Th.X.

Regredi vero aut regurgitare, qvæ multorum  
opinio est, bilem in hepate jam secretam in sangvi-  
nem, ut cum hoc per ambitum corporis diffusa iæte-  
rum producat, facilius longe dicitur, qvam re ipsa  
demonstratur: aut enim novas plane, neminiqve  
hactenus vias aut cognitas nobis ostendant vias, bi-  
lem ita sangvini reddentes, aut ordinarium & natu-  
ralem sangvinis & humorum motum progressivum &  
fluentum prorsus invertant, faciantqve ut aliquam-  
diu nihil sangvinis per venæ portæ ramos ad hepatis  
acinos glandulosos deferatur, sicqve regurgitantem  
& refluam bilem in motu suo non impediatur. Ho-  
rum autem, nec unicum quidem, cum nemo facile  
præstiterit unqvam, merito inter ineptas non nisi  
nugas bilis illum in sangvinem numerandum esse re-  
gressum censemus. In qvibus nobiscum appri-  
sentientem habemus Nic. Pechlinum loco Thes. 4.. ci-  
tato ita differentem. Qvod autem vulgo de regurgitatione  
ajunt bilis, non bene concipi posse videtur, cum bilis nomine non  
anteveniat liquor ille pinguis oleosus, qvam transmissa glan-  
dularum hepatis textura in ductus secesserit cholangios.

B 2

Item

Item pagin. seqvent. Fallunt nos observationum indices,  
quando icterum ab obſtructione vel hepaticorum ductuum aut  
vesicula fellea, nunc etiam à calculo repetunt. Et qvam-  
vis Vir Doctiss eadem observatione testetur, liqvorem,  
cœruleum in ductus hepaticos à ſe infuſum in glan-  
dulosi visceris penetralia & ſuperficiem colore transi-  
ſſe, nemo tamen erit, qui niſi poſthabito plane vi-  
uentium ſtatu, ſtudio perperam ratiocinari dicereque  
velit, eadem hac via bilem ſangvini reaffundi facile;  
qvandoqvidem hic à ſtatu mortuo ad vivum nulla  
valet confequentia, nec per momentum qvidem ſangvis  
per venam portæ hepar verſus fluere definat, ſed  
potius ſemel intra portam receptus partim à ſangvi-  
ne à tergo affluente, à motu diaphragmatis, partim  
qvoqve ab ipſa vena portæ intra hepar in arteriam  
verſa teſteqve Needhamio aliisqve pulsante valide  
premitur, urgetur, ſicqve per hepatis compagem totam  
ad acinos glandulosos propellitur, qvod qyo fit con-  
ſtantius, eo minus poſſibile, bilem hac via unqvam  
regurgitare poſſe in ſangvinem.

## Th. XI,

Pertinent deniqve huc nonnulla ex veterum præ-  
judiciis nata, ac arribabus communiter ulnis nec minori  
certitudine inter medicos recepta, ac antiquus ille  
humorum quaternio pituitæ, bilis, melancholia& ſeri:  
ſcilicet gratis & fruſtra in medicina pro canone & re-  
gula

\* ) 13 ( \*

gula universali haberi, omnia qvæ flavescent vel amaricant, à bile aut è bilis profapia esse, nec qvæ antivitus de hepatis calida intemperie, de maculis hepaticis sparguntur, aut passim de bile, de sapore amaro vel pruritu totius coporis in ictero prædicantur, hepatis aut bili non statim in acceptis ferenda esse, qvoniā postrema hæc hepate exauctorato & à sanguificationis officio dudum remoto per se corruiunt & sponte evanescunt, priorum autem intuitu sèpè sèpius infartum ab uberibus adhuc pendentium excrementa alvina intense flavent, acidum redolent, & à canibus & bestiis avide devorantur, qvibus si tantillum bilis instilles, hæc propter amaritatem bestiæ abhorrent. Nec infreqvens adeo est, ut in diarrhoeis aut febribus alii alvo flavo excernant sine ulla amaritatem, imo limpidissima interdum & viscida, insigniter amaricantia vomitu rejiciant, qvæ propterea à bile statim esse nemo est qvi affirmet, flavedine imprimis in ictericorum sero & succis fatua & insipida superius ostensa. Præterea multa inter remedia intense amaricant, ut absinthium, centaurium minus, gentiana, faba S. Ignatii, colocinthis, aloe, qvæ cum bile propterea non sunt unum & idem. Multa qvoque flavent, ut flores croci, radices curcumæ, Gumm. Gutt. &c. qvorum flavedo non est biliosa. Datur ergo extra corpus amarities & flavedo sine bile. Datur & in corpore, cum juxta effatum Hippocratis sexcenta corpusculorum genera in sanguine reperiantur, adeoque seorsim & flava

B3

&

& amara. Proinde non promiscue qvicqvid in corpore flaver aut amaricat bilis erit.

### Th. XII.

Postremo in icteri curatione nemo Medicorum bilis retentæ aut regurgitantis in sanguinem ullam habet rationem, sed methodo potius usitata catarcticis, ex veterum opinione, cholagogis & si necessitas exegerit emeticis primas vias evacuant, viscidorum humorum saburram subducunt, vitia digestioñis & ipsius sanguinis corrigunt, atque labefactatum viscerum tonum, amaricantibus, salibus omnis generis duplicatis, salibus volatilibus oleosis, itemque simplicibus, aromaticis, martialibus idque genus aliis instaurant, consilio & instituto hoc ictero non secus ac cachexiae feliciter medentes, cuius revera etiam species esse videtur.

### Th. XIII.

Communis ergo sententiæ assertores, cum sequiū longe icterum current, quam eorum morbi aetiologya sva-deat, aut ejus ratio jubeat, brevibus probabiliorem & ve-riorem icteri theoriam & generandi modum coronidis loco superioribus subjungere visum nobis est, salvis alio-rum, sed meliorib⁹, iudiciis. Qvod facturi tria supponim⁹, qvæ apud omnes in confessio & evictæ inter Medicos ve-ritatis sunt. (I.) Bilem ex hepate intestino duodeno infu-sam

sam indolis saponariæ & abstergentis adeoqve virtutis salino alcalicæ magis qvam simpliciter falsæ esse.  
 (2.) Chylum & lac duos liqvores esse sibi maxime conformes & analogos , ut chylus ab aliis lac , & lac ab aliis chylus reciproce dicatur. (3.) Lac cum alcalicis v. g. sale tartari coctum , mutato colore albo in liqvorem purpureum sangvinem referentem converti. Ex qvibus colligere in promptu ; ac cum Cl. Baglino Dissert. de bilis natura usu & morbis pag 429. 430. 431. afferere licitum est , bilem chylo sub primo intestinorum ortu affusam sangificationis primordia & rudimenta eidem imperfite , qvo chylus in sangvinem eo melius vertatur , ipsumq; hæmatoseos negotium felicius succedat. Et qvamvis chylus bile temperatus per vasa lactea & ductum usque thoracicum sub formâ lactis adhuc compareat , neqve violenta talis coctio in corpore detur , qvalis fit dum lac cum sale alcali ad ignem coquitur , compensant tamen hæc crebriores sangvinis chylo permitti ritus , reditus & circulationes per cor & omne vasorum sangviferorum gen , ut qvod ars unica forriori licet , coctione , natura lente , successive & qvasi per varios flavedinis gradus identidem producat , in qvibus si blandæ fluidorum digestiones subsistant , nec ad debitum perfectionis terminum provehantur , mirum non est , corporis nativum colorem vitiari , ipsumqve sanginem imperfecte rutilantem , tubulis angustioribus exceptum flavere , siccqve coloris ubiqve citrini & biliosi causam existere , id qvod febres , venena , catarctica vehementiora crasim sangvinis & constitutio nem

nem qvandoqve ad internacionem usqve lădentia  
ad oculum demōnstrant. Fluitqve sic porro ex his  
sponte , duas potissimum esse causas , statum & ne-  
gotium hæmatoseos notabiliter turbantes , sangvi-  
nis scilicet intemperiem, cruditatem & vitium cræeos,  
vel labem & defectum bilis , sed cum hæc ultima cau-  
sat tantum secundaria sit , & à priori tanqam prima-  
ria & unica dēpendeat tota , nulli cum Nic. Peckling  
dubitamus asserere , icterum & ductuum hepaticorum obstru-  
ctiones non alio qvam depravatae sanguinis texturæ & unionis qz que  
in fluidis harmonica esse debet , vitio contingere , ab una omnia  
causa dēpendere sicutqve concludere , icterum veram  
cachexiæ speciem esse.

## F I N I S.

---

**A** Quali passu semper Medicina caduci  
Corporis, atq; animæ cura perennis  
eunt.

Cum pietas simplex primorum Christicolarum  
Floreret, simplex ars Medicina fuit.

Hinc ceus Papa sibi diuinos sumxit honores,  
Galenum Medica fecit in Arte Deum.  
Sed

Sed veluti Papam torsit doctrina Lutheri,  
Sic Galene tibi crux Paracelsus erat.  
Hinc pariter sacras iniit Medicasq; cathedras  
Grassandi in tricas litigiosus amor.  
Nam cultum fngit sibi qvisq; Dei, Mediciq;  
Nam nova quotidie principia artis habent.  
Tu veram semper pietatem animiq; medelam  
Funxisti studiis RUNGIE docte Tuis.  
Sic Medico Medicus si pergis fidere Christo,  
Alter apollinea sorte Machaon eris.

Experientissimo atq; doctissimo Domino Can-  
didato, Auditori qvondam suo egregie assi-  
duo votivum augurium paucis lineis, sed  
amore prolixo accinit,

Leonth: Chr: Sturm,  
Math: Prof: ord:  
& Societ:Scient:Reg:Berol:membrum.

**M**ein allerliebster Freund / ich muß Ihm gratu-  
liren  
**M**zu Seinem Ehren Stand / den Er erlanget  
hat  
Durch Seinen grossen Fleiß / und öfttern disputiren /  
Da Er mit Nehm wird der Arzney LICENTIAT.  
Die Schuldigkeit ist klar / ich kan michs nicht entschlagen /  
Weil unsre Schwägerschaft mich heftig dazt treibt / Auch

Auch fehlt der Wille nicht; Nur dieses muß ich klagen;  
Dass mein geringer Kiel so schlechte Verse schreibt.  
Doch will ich ohne Kunst zum reimen mich verfügen/  
Zumahl Er mehr mein Herz / als meine Künste mehnt;  
Ich will nur meine Pflicht auf dieses mahl vergnügen  
Zu weisen / daß ich sey sein ungefärbter Freund:  
Und also wünscht mein Herz zu Seinen grossen Ehren  
Ihm tausendsaches Glück als Einem der es wehrt/  
Der Höchste wolte bald Ihm seinen Nuhm vermehren  
Bey Seinem Phylicat, so wie Er selbst begeht.  
Wie Er nun durch den Fleiß den Ehren-Thron erstiegen/  
Und rühmlich worden ist ein Herr der Wissenschaft:  
So glücklich soll Er auch bey Seinen Euren siegen  
Mit Seiner Arznen durch Seines Gottes Krafft!

Mit diesem wenigen wolte dem Herrn Candidato  
aus Schwägerlichen Herzen glückwünschend  
begegnen

M. George Krüger  
von Baruth aus Sachsen /  
Pfarrerr in Bugarten.

Ein Glück vergnüget mich; Wie darff ein Bruder  
schweigen?  
Da so viel andre heut Dir frohe Wünsche zeigen/  
Ich bin hierzu bereit; Jedoch was schreibe ich?  
Herr Bruder nichts als dis: Dein Glück vergnüget mich.

Mit diesem wenigen sollte dem Herrn Respondenten gra-  
tuliren dessen Bruder

Johann Nunge/  
J. U. Stud.

as (o) as

200 A 6272

f



TA-OL

Retro ✓





24

D. O. M. D. & A.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**B I L E**  
**ICTERI CAUSA FICTA**

QVAM  
*DIVINA FAVENTE GRATIA*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*AUGUSTO ac SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,*  
**DN. FRID. WILHELMO,**  
REGNI BORUSSICI atq; ELECTORATUS BRANDENB.  
HEREDE, &c, &c, &c.  
CONSENSU ET AUTHORITATE  
*GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ*  
*IN REGIA VIADRINA*  
PRÆSIDE  
VIRO EXCELLENTISS. arg. EXPERIENTISSIMO  
**DN. IOH. GEORGIO à BERGEN,**  
MED. DOCTORE ET PROFESSORE PUBL. ORDINARIO  
h. i. FACULTATIS SUÆ DECANO SPECTABILI  
*DN. FAUTORE, PRÆCEPTORE & STUDIORUM SUORUM PROMOTORE*  
*OMNI OBSERVANTIA ETATEM DEVENERANDO*  
PRO LICENTIA  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ac PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI,  
*In Auditorio Majori, horis ante- & pomeridianis ad D. g. Aug. An. M DCC X.*  
Publico Eruditorum Examini submittit  
**REINHARDUS RUNGE,**  
CIRCULI FRIDEBERGENSIS MEDIC. ORDINAR.  
FRANCOF. ad VIADR. Literis TOBIAE SCHWARTZII.

101010